

Gauthier Liberman

DE *BUCOLICORUM* THEOCRITEORUM
ET MARONIANORUM ALIQUOT LOCIS
DISPUTATUR

Carolus Martinus Lucarinus quinquagenarius, cum et artis nostrae et utriusque sermonis peritissimum tum humanissimum uirum, his humilibus, ut ita dicam, racemationibus, donare placuit, ut quae ab heu sexagenario amico *Bucolica* Theocritea Maronianaque propriae mentis oculis perlustrante selectae sint. Haec enim carmina, ut multi multa et bona, quae tamen non omnia recepta aut respecta sunt, reperturi iam excusserunt, ita nonnulla ulcera tenent quae resecanda aut indicanda restent; restant autem etiam quae explicatore, non emendatore egeant. Quod uero hic illic iusto aut solito breuius locutus sum, hoc non modo spatii angustiis sed etiam perspicuitatis causa eius factum est, qua commenta mea aut propria uirtute praelucere aut aliis et fortasse ipsi Carolo ueri inueniendi uiam praemonstrare queant.

Theocritea¹

1, 27–31:

καὶ βαθὺν κισσύβιον κεκλυσμένον ἀδεί κηρῶ,
ἀμφῶδες, νεοτευχές, ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον.
τῷ ποτὶ μὲν χεῖλῃ μαρύεται ὑπόθι κισσός,
κισσὸς ἐλιγρῦσῳ κεκονιμένος· ἃ δὲ κατ' αὐτόν² 30
καρπῶ ἔλιξ εἰλεῖται ἀγαλλομένα κροκόεντι.

¹ Textum de Gowi 1950 editione quisquiliis mutatis expressi. Virorum doctorum nominum Latine reddendorum rationem Housmanni in praeclara enarratione Maniliana secutus sum.

² Audi Tournierum 1894–1902, 74 : “La fin du vers paraît avoir été bien corrigée par Sauppe : κατ' αὐτῶν (du haut des lèvres, des bords)”. Non receperunt, ut alios praetermittam, Wilamowitzus 1912 – quem Sauppianum commentum spreuisse miror –, Legrandus 1925, Gowus 1950, Gallavottius 1993, Hunterus 1999, Hopkinsonus 2015.

Solito acumine de toto loco disputavit Wilamowitzus,³ quam disputationem qui hanc meam adnotatiunculam legis excutias uelim. Incomparabilis tamen uir de uersu trigesimo aliis uerum inueniendum reliquit. Ut enim ἐλίχρυσω κεκοιμένος (nam hoc et ipse recte a codicibus PW tradi puto⁴) dicatur κισσός, me quidem iudice uix fieri potest, nec tum quidem si ἐλίχρυσος ad ipsum hederæ florem refertur.⁵ Certe χρύσω κεκοιμένος tam bene ipsum per se dici uidetur,⁶ ut ἔλα⁷ χρύσω, ‘lumine’ uel ‘splendore auri’, coniciam. Adferrem Nonnum *Dion.* 19, 130–131 τοῦ περὶ χεῖλεος ἄκρον ἐπ’ ἀμπελόεντι κορύμβῳ (καρήνῳ Laurentianus, corr. Graefius) | κισσὸς ἔλιξ, χρυσέῳ δὲ πέριξ δαιδάλλετο κόσμῳ, si textus quem representari stare posset.⁸ Lacunam uero ante κισσὸς ἔλιξ posuit Keydellus,⁹ Wilamowitzo autem adrisit emendatio Graefiana κισσὸς ἐλίχρυσοιο πέριξ δαιδάλλετο κόσμῳ.

³ Wilamowitzus (1906) 223–229, qui Maronem (*Buc.* 3, 38–40 *fagina, caelatum diuini opus Alcimedontis, | lenta quibus torno facili superaddita uitis | diffusos hedera uestit pallente corymbos*) hoc Theocriteum tale quale nos legimus legisse ipsum docuit aut docere sibi uisus est. Ceterum Maronem *torno* scripsisse me mirari fateor: non *caelatum... torno* sed *tornatum... caelo* (uide Graecum γλυφάνοιο) eum dedisse suspicor, etsi haec et talia nonnumquam ab ipsis ueteribus misceri non nescius sum (uide Libermannum 2021, 170).

⁴ Praeunte Lattio 1968, 668, quem Gowus 1950, II, 8 suo iure perstrinxit, Hunterus 1999, 79 uulgatam lectionem κεκοιμένος maluit, quod probante Lattio συμπλεγμένος ualere scholiasta (apud Wendelum 1914, 40, 11 et 16) proprio, ut puto, Marte dixit. Aduocatur a Lattio eumque sequentibus (sunt autem iusto plures) Hesychius Δ 1070 διακόνις· ἐπὶ ὕψις ἱματίου ἀνωμάλου, ὃ φαμεν κονίζειν. καὶ ἄνθρωπος ὁ μὴ πυκνός, quod non ita facile ad locum Theocriteum referri Beekesus 2010, 328 s. v. διακόνις recte adnotauit. Re uera κεκοιμένος idem quod κεκοιμένος ualet pertinetque ad substantiuum κόνις. Illud Hesychianum κονίζειν, quidquid id est, melius relinquitur. Porro quod Lattius ad hanc uocem inlustrandam Maronianum *diffusos hedera uestit pallente corymbos* excitat, id nihili est.

⁵ Ita Gowus 1950, II, 7 et Hopkinsonus 2015, 21 n. 8.

⁶ Quod Tournierus 1894–1902, 74 perspexit, qui ἐπὶ χρυσῶ, sc. χρυσῶ *ἐπικεκοιμένος, coniecit eumque audi: “La branche de lierre était saupoudrée d’or ou dorée, les fruits comme les feuilles”.

⁷ De hac uoce uide sis Beekesum 2010, 385 s. u. εἴλη 2. Quam facile illud ἔλα corrumpi potuerit, neminem latebit; Pindarum fr. 123, 10 a Bergko egregie emendatum adferre satis erit.

⁸ Frustra oblocuta est femina docta Gerbeau 1992, mirorque Franciscum Viannum eius adiutorem in hac falsi praelatione acquieuisse.

⁹ Keydellus 1959.

Quae si recta est, Theocriti locus iam tum cum eum Nonnus legit deprauatus fuit, quod non mirandum, si iam Maronem (*Buc.* 3, 39–40) eum talem qualem nos legimus legisse, quod Wilamowitzus putauit, uerum est.

1, 104–106:

οὐ λέγεται τὰν Κύπριν ὁ βουκόλος...; ἔρπε ποτ' Ἴδαν,
ἔρπε ποτ' Ἀγχίσαν· τινεὶ δρύες ἠδὲ κύπειρος, 105
αἱ δὲ καλὸν βομβεῶντι ποτὶ σμάνεσσι μέλισσαι.

Recipi solet pro eo quod traditur οὗ id quod Graefius emendauit οὐ, ita ut tacenda subaudiantur, ueluti cum Maro (3, 8–9) dixit *nouimus et qui te, transuersa tuentibus hircis*, | *et quo – sed faciles Nymphae risere – sacello* (sc. ‘pedicauit’ uel tale quid¹⁰). Verum ut tacenda ad locum Maronianum quadrant, ita uix ad Theocriteum. Quo fit ut προσλέγεται (cf. 1, 92 ποτελέξατο), ‘adloquitur’ (sc. Daphnis), coniciam mutata distinctione supra repraesentata.

2, 26:

οὗτῳ τοι καὶ Δέλφισ ἐνὶ φλογὶ σάρκ' ἀμαθῦνοι.

Cum ἀμαθύνω ‘in puluerem redigo’ significare uulgo perhibeatur, Delphis ipse suum corpus in puluerem redigere a Theocrito dici uidetur, quod tantum abest ut toleretur ut interpretes ipsi suo quisque sermone hanc actiuam uerbi significationem deserant, ueluti cum Gowus “so may the flesh of Delphis waste in the flame” uertit. Re uera lexicis addendum est ἀμαθύνω intransitiue acceptum,¹¹ ‘in puluerem

¹⁰ Quod expressisse Theocritum (5, 41–42 et 116–117) non puduit. Re uera quod Maro cum impudenter tum ludibunde posuit, uidelicet *transuersa tuentibus hircis*, “inuidentibus ipsis hircis pueri pedicandi cupidine feruidis”, id multo proteruius est quam Theocritea illa αἱ δὲ χίμαιραι αἶδε κατεβληχῶντο, καὶ ὁ τράγος αὐτὰς ἐτρώπη.

¹¹ Qui huius uerbi usus ipsum Fraenkelum 1906, 36 latuit, a quo tamen optima de talium uerborum ui intransitiua doceberis. Obiter moneo participium ἐκκλεάθοντα (1, 62–63 τὰν γὰρ ἀοιδάν | οὐ τί πα εἰς Αἶδαν γε τὸν ἐκκλεάθοντα φυλαξεῖς) non esse “a strong aorist participle from ἐκκλήθαι” (sic mirandum in modum Hunterus 1999, 86), quod primo obtutu accentus

redigor’, ‘pulvis fio’, quod scholiasta apud Wendelum,¹² οὕτω καὶ ὁ Δέλφις ἐν φλογὶ τοῦ ἔρωτος διαφθαρεῖ τὸ σῶμα, intellexit. Quantum ad σάρκα pertinet, nil est nisi accusatius qui respectus dicitur, quod scholiasta etiam perspexit.

2, 105–109:

φράζεό μεν τὸν ἔρωθ’ ὅθεν ἴκετο, πότνα Σελάνα – 105
 πᾶσα μὲν ἐψύχθην χιόνος πλέον, ἐκ δὲ μετώπῳ
 ἰδρώς μεν κοχύδεσκεν ἴσον νοτίαισιν ἐέρσαις,
 οὐδέ τι φωνῆσαι δυνάμαν, οὐδ’ ὅσσον ἐν ὕπνῳ
 κνυζεῦνται φωνεῦντα φίλαν ποτὶ ματέρα τέκνα·

Suspicio φωνεῦντα perseuerantis errori deberi (nam φωνῆσαι praegreditur) Theocritumque ποθέοντα (confer 17, 52 et 18, 42) dedisse, ut paruuli matrem suam desiderantes ad eam uagire dicantur. Noli subirasci Quintum Smyrnaeum adferenti 2, 578–579 μετὰ δὲ σφι κύνες ποθέοντες ἄνακτα | κνυζηθμῶ ἐφέπονται ἀνηρηῆς ἕνεκ’ ἄγρης.

4, 11, 33–34 et 37:

BA. Εἰπέ μοι, ὦ Κορύδων, τίνας αἰ βόες; ἦ ῥα Φιλώνδα; 1
 KO. οὐκ, ἀλλ’ Αἶγωνος· βόσκειν δέ μοι αὐτὰς ἔδωκεν. 2
 (...)
 KO. οὐκ ἄκουσας; ἄγων νιν (sc. Aegona) ἐπ’ Ἀλφεὸν
 ὄχετο Μίλων. 6
 (...)
 KO. κῶχετ’ ἔχων (sc. Aegon) σκαπάναν τε καὶ εἵκατι
 τουτόθε μῆλα.
 BA. πείσαι κα Μίλων καὶ τὼς λύκος αὐτίκα λυσσῆν. 11
 (...)
 BA. φεῦ φεῦ βασεῦνται καὶ ταὶ βόες, ὦ τάλαν Αἶγων 26
 KO. (...)
 αἰνέω τάν τε Κρότωνα – ‘Καλὰ πόλις ἄ τε Ζάκυνθος...’ – 32

dissuadet, sed, quod uir harum rerum unus omnium peritissimus Buttmannus 1825, 179 olim perspexit, praesens ex aoristo reduplicato uim causatiuam habente ductum.

¹² Dico Wendelum 1914, 276, 6–7.

καὶ τὸ ποταῖον τὸ Λακίνιον, ἄπερ ὁ πύκτας	33
Αἴγων ὀγδώκοντα μόνος κατεδαίσατο μάζας.	34
τηνεὶ καὶ τὸν ταῦρον ἀπ' ὄρειος ἄγε πιάξας	35
τᾶς ὀπλᾶς κῆδωκ' Ἀμαρυλλίδι, ταὶ δὲ γυναῖκες	36
μακρὸν ἀνάυσαν, χῶ βουκόλος ἐξεγέλασεν.	37

En ecce luculentum me quidem iudice erroris qui dicitur Wattiani exemplum tenes, quo, cum scribae duarum uocum altera iteranda esset, eam quam non debuit iterauit. Denique quod ὁ πύκτας Μίλων Theocritus nobilissimi athletae Milonis Crotoniensis memor¹³ uoluerat scripseratque, id ὁ πύκτας Αἴγων (u. 33–34) factum est. Verum inuenit Halbertsma, spreuerunt excepto Edmondso¹⁴ quotquot editores mihi innotuerunt. Ipse Legrandus ita haesit ut “uix posse Aegona iam dici τὸν πύκτην, qui oleum nondum uiderit (u. 7)” adnotaret, falsum demum praeferret. Quid quod scholiasta et uiri docti nostrates omnes, quod u. 35–36 ab Aegone factum esse praedicatur, id ipsum ab illo Milone factum esse perhiberi adnotant? Obloquenti Gowō monentique χῶ βουκόλος ἐξεγέλασεν ad Aegona pertinere necesse esse hoc habeo quod respondeam, receptam quoque Μίλων emendationem nunquam obstare quin χῶ βουκόλος ἐξεγέλασεν ad ipsum Aegona referamus. Nunc uero agendum de u. 11, πείσαι κα (κε K, emendauit Ahrensus; τοι interpolauerunt ceteri codd.) Μίλων καὶ τῶς λύκος αὐτίκα λυσοῖν, quem scholiastae et ceteri interpretes frustra explicare conati sunt. Index autem falsae lectionis istud otiosum atque ineptum αὐτίκα est. Forsitan Gowō pace Stephanus coniciendo κατ τῶ λύκῳ ἀμνάδα λυσοῖν uerum inuenerit. Qui enim Aegona bubulcum olei ignarum ut athleta fieret persuadere potuit, is agnellam quoque ut aduersus lupum furat suadere potuerit. An Maro eius loci (sed ante corruptionem) memor *nunc et ouis ultro fugiat lupus* (8, 52)¹⁵ dixit?

¹³ Milonem illum priscum et uerum non pugilem sed, monente Gowō 1950, II, 78, luctatorem fuisse parum refert. Verum fieri potest ut et pugil fuerit. Milonem Theocriteum Wilamowitzus 1906, 166 ‘Faustkämpfer’, idem 1912, 158 ‘pugilem’ ita nuncupauit, ut nescio an eius menti emendatio ὁ πύκτας Μίλων, quam tamen silentio pressit, obuersaretur. Etenim ipsum audi: “Scaena Crotone: ideo pugili cuidam Milonis, antiqui olympionicae, nomen induitur”.

¹⁴ Dico Edmondsum 1912.

¹⁵ Vide locos adsimiles apud Ottonem 1890, 198, qui tacite locum Theocriteum ad emendationem Stephanianam adcommoauit.

12, 12–16:

‘δίω δὴ τινε τώδε μετὰ προτέροισι γενέσθην
 φῶθ’, ὃ μὲν εἴσπνηλος, φαίη χ’ Ὠμυκλαϊάζων,
 τὸν δ’ ἕτερον πάλιν, ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι, αἴτην.
 ἀλλήλους δ’ ἐφίλησαν ἴσφ ζυγῶ. ἦ ῥα τότε ἦσαν 15
 χρύσειοι πάλιν ἄνδρες, ὅτ’ ἀντεφίλησ’ ὁ φιληθείς’.

Fuit olim me quidem iudice qui, cum structura parum perspecta εἴποι absolute positum esse crederet idque ei displiceret, ueriores lectionem ὁ δ’ ἕτερος πάλιν, ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι, αἴτης aut quasi sponte sua inter legendum aut consulto per infelicem emendationem pessumderit. Tradita ipse Gowus parum aptis locis¹⁶ se tutari fatetur. Nam quod Wilamowitz¹⁷ τὸν δ’ ἕτερον πάλιν, ὥς καὶ ὁ Θεσσαλὸς εἴποι, αἴτην legit, id ὁ δ’ ἕτερος πάλιν, ὥς καὶ ὁ Θεσσαλὸς εἴποι, αἴτης esse debuit. Fieri autem potest ut haec ipsa lectio uera sit. Wilamowitzo enim admonente et uox αἴτας Laconica esse perhibebatur¹⁸ et κεν melius abest, ut φαίη χ’ (id est καὶ) Ὠμυκλαϊάζων et ὥς καὶ ὁ Θεσσαλὸς εἴποι¹⁹ concinne inter se respondeant. Tum idem aut alter scriba perseuerandi errore πάλιν pro eo quod fuit πάλαι (est autem uetustior coniectura ab Ahrenso citata), uidelicet χρύσειοι πάλαι uel potius χρύσειοι οἱ πάλαι (Wassenbergus a Gowow citatus; confer 13, 66 σχέτλιοι οἱ φιλέοντες), exarauit.

¹⁶ Vide Buechelerum 1927, 108–109.

¹⁷ Wilamowitzus 1906, 180.

¹⁸ Lectione incertissima laborare moneo *SEG* 24 (1978) 128 n° 404 (uide *SEG* 22 [1967] 98 n° 302), quod hic illic, ueluti a Richero 2012, 599, tanquam supra omnem dubitationem positum praedicatur: “Aigiai. Dedication, ca. 550–500 B. C., (...). C. Gallavotti (...) interprets the text as follows: *ὑακίνθιοι ἀνέθεν αἴται ἀγροϊκῶ(ι)*. The Hyakinthioi are a thiasos who dedicate the bronze cup to a semi-divine αἴτας (= ἐταῖρος ἐρώμενος) in the fields; i. e., Hyakinthos who was loved by Apollo”.

¹⁹ Alcaeus Lesbicus (uide fr. 346, 2 a me olim enarratum) Laconica quae perhibetur uoce et ipse ita usus est, ut eam potius ad amicum quam ad amasium referre uideretur. Conferenda est *Συναγωγή λέξεων χρησίων* α 409 apud Cunninghamum 2003, 556 αἴταν· τὸν ἐταῖρον. Αριστοφάνης (Byz. fr. 408 apud Slaterum) δὲ τὸν ἐρώμενον. Forsitan igitur, pace Beekesi 2010, 45 (“A Doric or Thessalian word”), eius uerbi amatorius usus magis quam ipsa uox Laconicus uel Thessalicus fuerit. De ea uoce feminam doctam Hamm 1957, 64 olim contuli; conferre et Pottum 1867, 441–442 et 649–650 nunc iuuat.

Neutrum ob aduerbiorum τότε... πάλαι quandam abundantiam, ni fallor, Gowō placet; abundantia uero nulla est, quandoquidem τότε ad ὅτε referendum est. Tu caue ne aureae aetatis uiros rursus redisse dici putantibus et ipse adsentiaris, nam, ut de uix apta sententia nihil dicam, ‘tum erant aurei rursus uiri, cum etc.’ pro eo quod esse debuit ‘tum redierant aurei rursus uiri, cum etc.’ positum Theocrito plane indignum est.

14, 10–11:

ΘΥ. τοιοῦτος μὲν ἀεὶ τὺ, φίλ’ Αἰσχίνα, ἀσυχᾶ ὀξύς,
πάντ’ ἐθέλων κατὰ καιρόν· ὁμῶς δ’ εἶπον τί τὸ καιρόν.

Interpretatione Gowiana “wanting everything just to your liking” ut unice apta sententia²⁰ efficitur (confer u. 57 ὄφελε μὲν χωρεῖν κατὰ νῶν τεδὸν ὧν ἐπεθύμεις), ita Graeca uerba κατὰ καιρόν ‘opportune’, ‘commode’, supra ueri similitudinem detorqueri uidentur.²¹ Inesse uero quendam uerborum iocularem ludum suspicor, quo lectoris acuti mens a notissima formula κατὰ καιρόν, quod primo obtutu ad rem et uirum non quadrare intellegitur, ad noue dictum *κατὰ χαῖρον adducitur. Quo facto ipse lector illud κατὰ καιρόν quasi nouo sensu uestit. At ipso ioco, ni egregie fallor, abnorme illud *κατὰ χαῖρον (nam κατὰ τὸ χαῖρον sermonis lege postulabatur) excusatur. Forsitan respiciatur²² atque etiam inrideatur illud dictum Epicureum (fr. 204 apud Usenerum) γεγόναμεν ἅπαξ, δις δὲ οὐκ ἔστι γενέσθαι· δεῖ δὲ τὸν αἰῶνα μηκέτι εἶναι· σὺ δὲ οὐκ ὦν τῆς αὔριον κύριος ἀναβάλλη τὸ χαῖρον (teste gnomologio Vaticano Epicureo,²³ τὸν καιρόν Stobaeo)· ὁ δὲ βίος μελλησμῶ παραπόλλυται καὶ εἷς ἕκαστος ἡμῶν ἀσχολούμενος ἀποθνήσκει. Quid si Epicuro uerborum ludus ei

²⁰ Itaque a *κατ’ ἄκαιρον (coniecit Greverus, recepit Ahrensus 1855) uel παρὰ καιρόν (Meinekus) cauendum.

²¹ Nam aliena sunt quae Gowus adtulit, dico 25, 66 μή τί οἱ οὐ κατὰ καιρόν ἔπος προτιμωθήσαιο et Herodotum 1, 30, 2 θεησάμενον δέ μιν τὰ πάντα καὶ σκεψάμενον, ὡς οἱ κατὰ καιρόν ἦν, εἶρετο ὁ Κροῖσος τάδε.

²² De Theocrito, ut ita dicam, Epicureo uide Rosenmeyerum 1971.

²³ Quam uariam lectionem sibi tum ignotam recipere nequibat Usenerus 1887, 162, eam recepit et tutatus est idem 1888, 179–180 = 1912, 302–303, cuius de toto loco disputationem auctor sum ut legas.

adsimilis, quem Theocrito adscripsi, placuit et amicum quem adhortaretur sub uerbis ἀναβάλλη τὸ χαῖρον illam formulam ἀναβάλλη τὸν καιρόν quasi delitescentem agnoscere uoluit? Haud uero temere ne κατὰ χαῖρον Theocrito tribuerem caui.

14, 44–46:

εἴκατι· ταὶ δ' ὀκτώ, ταὶ δ' ἑννέα, ταὶ δὲ δέκ' ἄλλαι·
 σάμερον ἑνδεκάτα· ποτίθεις δύο, καὶ δύο μῆνες 45
 ἐξ ᾧ ἀπ' ἀλλάλων·

“Twenty, eight, nine, another ten, to-day’s the elenventh. Add two, and it’s two months we’ve been apart” (ita Gowus). Argentario meo me computatorem nullum esse iure suo adseuerante hac tamen facultate non adeo careo, ut hanc dinumerationem peruersam esse uidere nequeam. Nam, ut hoc loquendi more utar, $20 + 8 + 9 + 10 + 1 + 2 = 50$. Quodsi Gowus illo ἑνδεκάτα ordinali non unum sed undecim dies significari posse credidit, tum uehementer errauit. At enim ταὶ δὲ δέκα ἄλλαι idem quod “another ten”, omnino ‘uiginti’ ualet. Re uera ταὶ δὲ δέκα ἄλλαι hoc non nisi post mentionem decem dierum iam iniectam ualere potest. Abest autem mentio ea. Deesse igitur decem dies meo iure autumo. Putemusne igitur duce Legrando²⁴ uersum unum aliquem inter u. 43 et 44 positum et decem illos dies indicantem euanuisse? Minime. Veriore enim distinctione uti sat erit hac: εἴκατι· ταὶ δ' ὀκτώ, ταὶ δ' ἑννέα, ταὶ δὲ δέκ', ἄλλαι, scilicet ταὶ δὲ δέκα, ἄλλαι δὲ δέκα, quae poeta sermonis uulgaris breuiloquentia usus contraxit. Huc adde quod poetae ἄλλαι pro eo quod in sermone soluto debuit ἔτεραι dicere licuit. Quod si Legrandum sequi magis uoles, tum pessumdatum ratio carminis septuaginta uersuum ita instituta, ut conloquentibus per integros hexametros duobus uiris omnino quinque et sexaginta uersus, per dimidiatos uel hemistichia darentur omnino quinque uersus hexametri integri.²⁵

²⁴ Legrandus 1925.

²⁵ A Gowu aliisque praeclaras emendationes spretas esse doleo u. 38 τήνω τεὰ δάκρυα; μάλα (codd. absurde; ἀλλὰ Wilamowitzus) ῥέοντω (ῥέοντι codd., emendauit Wilamowitzus, receperunt omnes); 55–56 οὔτε κάκιστος | οὔτε πρᾶτος ἴσως, ὁμαλὸς δὲ τις ὁ στρατιώτας (ἀσπιδιώτας Ahrensus, neglexit ipse Wilamowitzus).

24, 13–15:

τᾶμος ἄρ' αἰνὰ πέλωρα δύω πολυμήχανος Ἥρα
κυανέαις φρίσσοντας ὑπὸ σπείραισι δράκοντας
ᾧρσεν ἐπὶ πλατὺν οὐδόν.

Nemini unquam nec Rumpelo²⁶ contigit ut ὑπὸ σπείραισι persuadenter explicaret. Nam tantum abest ut quoddam Platonium quod fertur epigramma, *A. P.* 16, 13, 1–2 Ὑψίκομον παρὰ τάνδε καθίζεο φωνή-εσσαν | φρίσσουσιν πυκνοῖς κῶνον ὑπὸ ζεφύροις, conferri possit ut cur locus Theocriteus illo ὑπὸ labore potius indicet. Quodsi, ut puto, praepositio melius abest, tum apta uidetur esse uocula qua Pindarus, in eo praeclaro loco quem Theocritus aemulatur et ampliat, adposite utitur, uidelicet ἄφαρ: θεῶν βασιλέα | σπερχθεῖσα θυμῷ πέμπε δράκοντας ἄφαρ (*Nem.* 1, 39–40). Qua emendatione recepta diligenterque conlato uersu Theocriteo 25, 227 αὐτὰρ ἐγὼ θάμνοισιν ἄφαρ²⁷ σκιεροῖσιν ἐκρύφθην, locum sic constitue et intellege: πολυμήχανος Ἥρα | κυανέαις φρίσσοντας ἄφαρ σπείραισι δράκοντας | ᾧρσεν ἐπὶ πλατὺν οὐδόν, ‘multarum fraudum machinatrix Iuno caerulea uolumina sinuantes serpentes actutum ciuit ad patulum limen’.

24, 60–61:

Ἀλκμήνα μὲν ἔπειτα ποτὶ σφέτερον βάλε κόλπον
ξηρὸν ὑπαὶ δείους ἀκράχολον Ἴφικλῆα·

Adiectiuum ξηρός de intrementibus²⁸ prae angore aut obstupefactis²⁹ usurpari non solitum esse Gowum non latuit, qui rariorem exquisitioremque αἴσος uoculam sic adhiberi adnotauit pluresque locos eosque luculentos e lexicis deprompsit. Glossographi autem haud pauci αἴσος per ξηρός explicant. Restituendum est igitur suum Theocrito legendumque αἴσος ὑπαὶ δείους (uide e. g. Menandrum *Epitr.* 901

²⁶ Rumpelus 1879, 292.

²⁷ Vide Rumpelum 1879, 48 s. v. ἄφαρ.

²⁸ Vide Oniansum 1951 192 n. 1, quem hoc potius ad oris siccitatem referentem ut sequar uix adducor.

²⁹ Vide *TLG* II 2482 BC.

αὔος εἶμι τῷ δέει quaeque Wilamowitzus³⁰ doctius adnotauit). Tum Theocriti recentiores editores ipsumque Wilamowitzum traditum parumque aptum ἀκράχολον seruasse, praeclare inuentum ab acutissimo poeseos Graecae emendatore Heckero *ἀκράχλοον, quod Ahrensus receperat, spreuisse doleo. Nam tu caue Gowō ἀκράχολον idem quod *ἀκράχλοον ualere tibi persuadere conanti obsequaris.

29, 19–20:

† ἄνδρων τῶν ὑπερανορέων δοκέης πνέην·
φίλη δ', ἄς κε ζόης, τὸν ὕμοιον ἔχην ἄει.†

Posterior uersus emendatu facilius prius emendetur: φίλον δ', ἄς κε νόης,³¹ τὸν ὕμοιον ἔχην ἄει, “amasium, quamdiu uides (seu ‘uuiis’), eundem habe semper”. Pro tradito δοκέεις non δοκέης sed δοκίμοις³² scribere Gowus debuit. Tum ἄνδρων τῶν ὑπερανορέων emendare difficilius esse satis constat. Cum Ahrensus ἀνορέαν, ‘superbiam’,³³ eruisset, Wilamowitzus³⁴ ἀνθρώπων ὑπὲρ ἀνορέαν feliciter quam infeliciter commentus est ediditque³⁵ et explicauit: “du hast ein *air*, einen *humour*, der über die ἀρετὴ καὶ δύναμις hinausgeht, (...) ὑπερήφανος εἶ μᾶλλον ἢ κατ’ ἀνθρώπων”. Ut Wilamowitzo obloquens Gowus sententiam aptam esse iniuria negat, ita plurale ἀνθρώπων et ὑπὲρ pro Aeolico πέρ positum displicent. Quo fit ut ἀνθρώπω σὺ πὲρ ἀνορέαν δοκίμοις πνέην, “tu supra hominis superbiam spirare uideris”, audeam.

30, 12:

τί δῆτ' αὐτε πόης; ἀλοσύνας τί ἔσχατον ἔσσειται;

³⁰ Wilamowitzus 1925, 98 ad u. 517.

³¹ Hoc iam Ahrensus 1855, sed dubitanter. De uerbi νόημι significatione uide Ruijghum 1967, 371–372 et 1991, 493.

³² Vide feminam doctam Hamm 1957, 144 n. 356.

³³ Vide pseudotheocriteam *Syringa* 9–10 ὃς σβέσεν ἀνορέαν ἰσαυδέα παπποφόνου | Τυρίας τ' ἐξήλασεν et Gowum ad loc.

³⁴ Wilamowitzus 1906, 257.

³⁵ Wilamowitzus 1912, quam editionem excutere etiamnum operae pretium est eaque non ita raro melior quam Gowiana euadit. Insunt carminum summaria elegantissima et acutissima.

Cum aphaeresis τί ὄσχατον mirabilis sit tantumque absit ut posterius τί necessarium sit ut me quidem iudice melius exsulet, omnino delendum est. Porro quotquot monstrum horrendum μάντ(ι) Εὐηρείδα, μάλα τοι φρονέοντα διδάσκω (24, 71) Theocrito adscribere ausi sunt, eis pudori id debuit esse quod intrusam explicationem pro eo quod fuit ἀλλ' Εὐηρείδα³⁶ receperunt.

Maroniana³⁷

1, 67–72:

En umquam patrios longo post tempore finis
 pauperis et tuguri congestum caespite culmen
 <aspiciam? Aut ego hyperboreo flauescere sole>
 post aliquot, mea regna uidens, mirabor aristas?
 Impius haec tam culta noualia miles habebit, 70
 barbarus has segetes. En quo discordia ciuis
 perduxit miseros, his nos consequimur agros!

Versus 67–69 tales posui, quales edi et intellegi suo iure uoluit Hauetus.³⁸ Quem uersum uir egregius suppleuit, eum exempli gratia tantum finxisse uix est quod dicam. Illud uero *post* (u. 69), quod pro aduerbio acceptum idem seruauit, adeo infelici ambiguitate laborare mihi uidetur, ut *olim* ante *ali(quot)* euanuisse credam. Tu tantum, lector optime, caue ne *olim arbos* (*Aen.* 12, 210) propter positum et elisionem conferas. Nam 12, 210–211 uersus interpolatos esse alibi tibi probare conatus sum.³⁹ Nihil tamen obstare mihi uidetur, quin *olim aliquot* hoc positu, hac elisione a poetae manu profectum sit. Nunc illud *his* (u. 72) restat, ni fallor, emendandum, quod *huic* (sc. militi) primitus fuisse conicio. *Huic* enim *his* propter *ciuis miseros* factum uidetur esse.

³⁶ Correxerit Ahrensus, receperit Wilamowitzus.

³⁷ Textum ex editione Ottavianiana (2013) plerumque expressi; sicubi alia, quisquiliis posthabitis, repraesentauimus, hoc disertim significauimus.

³⁸ Hauetus 1914, 81–85.

³⁹ Vide Libermannum 2025, 90–92.

2, 56–69 (et totius carminis structura tangitur):⁴⁰

Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis,	56
nec, si muneribus certas, concedat Iollas.	57
Eheu, ⁴¹ quid uolui misero mihi? Floribus Austrum	58
perditus et liquidis immisi fontibus apros.	59
Torua leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,	63
florentem cytisum sequitur lasciua capella,	64
te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque uoluptas.	65
Quem fugis, a, demens? Habitarunt di quoque siluas	60
Dardaniusque Paris. Pallas quas condidit arces	61
ipsa colat; nobis placeant ante omnia siluae.	62

Verum ordinem restituisse mihi uideor, quo recepto omnia recte procedere me locum legentibus re ipsa probaturum esse satis confido. Nam si traditum ordinem seruas, nihil habent illa *Quem fugis, a, demens?* quo referantur. Ceterum carminis apertam structuram, precor, animaduerte: 1–5, praefatur poeta; 6–73, queritur Corydon ita, ut in u. 6–55 Alexi suadere ut eum amet se posse credat, secus uero in posterioribus se nullam spem habere intellegat. Carminis ratio uere Maroniana ($72 = 9 \times 8$)⁴² suadet ut uersus 39, *dixit Damoetas, inuidit stultus Amyntas*, quem tanquam ipsum per se otiosum aut ineptum Ribbeckus damnauerat, deleatur.

⁴⁰ Knoepfler 2010, 155 *actaeo*, hoc est ‘litoreo’, non *Actaeo* (2, 27 *Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho*) iure suo interpretatum esse obiter moneo.

⁴¹ *Eheu* ueriores quam *heu heu* lectionem esse aliis praeuentibus ostendi (Libermannus 2023, 63–64 n. 110).

⁴² Carminis IV, omnibus notae uaticinationis, uersuum numerus quasi perfectus 63 (7×9) impedit, quominus u. 23, *ipsa tibi blandos fundent cunabula flores*, reiciatur. Dico propter feminam doctam Ottauiano 2013. En uerus ordo, en uera atque ea pulcherrima lectio: (18) *Ac tibi prima, puer, nullo munuscula cultu* | (19) *errantis hederas passim cum baccare tellus* | (20) *mixtaque ridenti colocasia fundet acantho*, | (23) *ipsa tibi blandos fundet cunabula flores*, sc. “*ipsa tibi tellus blandos flores fundet ut sint tibi tanquam cunabula*”. Nota schema quod dicitur Cornelianum, in *Bucolicis* a Marone admatum ut quod maxime. Verum ordinem inuenit Kloučekus, cuius inuentum plurali *fundent* emendando Campbellus perfecit.

3, 84–85:

Pollio amat nostram, quamuis est rustica, Musam:
Pierides, uitulam lectori pascite uestro.

Solum, ni fallor, Ribbeckum⁴³ proposuisse, neminem et facillimam et me iudice certissimam emendationem *cultori* recepisse miror, non nescius fore qui solitis ueterum scripta explicantium uel potius tenebrarum inuolucris implicantium artificiis traditum *lector* uindicare deconentur. Tu uero sapiens confer Hesiodum *Theog.* 99–100 ἀοιδός | Μουσάων θεράπων;⁴⁴ Maronem *Georg.* 2, 475–477 *Me uero primum dulces ante omnia Musae, | quarum sacra fero ingenti percussus amore, | accipiant;* Nasonem *Trist.* 2, 13–14 *si saperem, doctas odissem iure sorores, | numina cultori perniciose suo;* *Pont.* 4, 2, 29 *sacraque Musarum merito cole;* *Trist.* 4, 10, 19–20 *at mihi iam puero caelestia* (Heinsio duce lege *Permessia*) *sacra placebant | iamque suum furtim Musa trahebat opus.* At si editores *lector* abiecissent, abiecissent quoque *liber* in 10, 67 *nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo* recepissentque *moriens alta aret Liber in ulmo.*⁴⁵

3, 88–89:

Qui te, Pollio, amat, ueniat quo te quoque gaudet;
mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

Loquitur Damoetas. Seruio duce ‘uenisse’ subaudiri et ‘ueniat quo te quoque uenisse gaudet’ explicari solitum est. Illud *quoque* absurdum uidetur nisi ‘post alios tantosque poetas’ interpreteris. Nam quis sanus diceret admiratorem imitatoreque se gaudere eum *quoque* quem admiretur imitaturque eo peruenisse quo ipse admirator imitatorque non nisi posterius perueniat? Etsi *quoque* ut feci interpreteris, mihi tamen uidentur tradita frigidiora esse quam ut pro Maronianis satis confidenter uenditentur. Callimacheum (*Hymn. Ap.* 113) χαῖρε, ἄναξ· ὁ δὲ Μῶμος, ἴν’ ὁ Φθόνοϋς, ἔνθα νέοιτο ad tradita uindicanda parum facit atque id eo minus, quo Graeca in malam partem dicuntur, ueluti cum

⁴³ Ribbeckus 1859 dubitanter; deest apud eundem (1894) et plerosque editores aut interpretes.

⁴⁴ Vide Westum 1966, 188.

⁴⁵ Sic Coningtonus probante Housmanno 1916, 66.

Medea Apolloniana (3, 786–787) ὁ δ' ἐμῆ ἰότητι σαωθεῖς | ἀσκηθῆς, ἴνα οἱ θυμῷ φίλον, ἔνθα νέοιτο effert. Emendatore, non explicatore locus forsitan egeat. Sententiae sufficere uidetur *qui te, Pollio, amat, ueniat quo tu quoque suades*, sc. ‘perueniat quo tu suades ut et ipse ueniat’. Quam Maronianum uerbum *suadeo* sit, te, si opus erit, docebit egregium illud lexicon Vergilianum.⁴⁶ Denique conferendum est *ueniam quocumque uocaris*, u. 49, loquente Menalca.

3, 100–103:

Dam. Heu heu, quom pingui macer est mihi taurus in eruo.
Idem amor exitium pecori pecorisque magistro.

Men. Hisce arte – neque amor causa est – uix ossibus haerent;
nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Haec Maro Ottauianianus.⁴⁷ Ut uero femina illa docta Hauetianam emendationem *quom* pro eo quod traditur *quam* recte recepit neque hac sua laude fraudanda est, ita eam Haueto duce *eheu*⁴⁸ quoque legere decuit. Quid, quaeris, de aduerbio *arte*? Nec Maronianum nec loci structurae aptum est. Huc adde quod traditum *certe* tuetur is quem Maro uestigiis sequitur locus Theocriteus 4, 15–16 τήνας μὲν δὴ τοι τᾶς πόρτιος αὐτὰ λέλειπται | τὼστία. Redeundum igitur est ad tradita *his certe – neque amor causa est – uix ossibus haerent*. Priscae Latinitatis monumentum religiose adseruatum *his* pro uulgari plurali *hi* positum nos magno gaudio adficere debet.⁴⁹

3, 108–110:

Non nostrum inter uos tantas componere lites:
et uitula tu dignus et hic, et quisquis amores
aut metuet dulcis aut experietur amaros. 110

Audi feminam doctam Ottauiano: “metuitur γλυκύπικρος amor quia dulcedine sua amantem in periculum trahit (cf. Aen. 4, 298 ‘omnia

⁴⁶ Dico Merguetum 1912.

⁴⁷ Ottaviano 2013.

⁴⁸ Vide Libermannum 2023, 63–64 n. 110.

⁴⁹ Videndus Hauetus 1914, 165–168.

tuta timens’)). Equidem ‘quisquis *dulcamaros⁵⁰ amores aut spernet aut recipiet’ intellego. Maro enim, audacissimus poeta, cum nec γλυκύ-πίκρους adamussim exprimere nec *dulcis amaros* conglutinare posset, *dulcis* et *amaros* ita posuit ut uerba quodam modo inter se pugnantia primum *metuit dulcis*, deinde *experietur amaros* componeret. Nam quis sanus dulcia metuat, quis amara experiri uelit? Quorum cum neutrum ueri simile sit, ueriores explicationem quaerere lectores debebant. Quam, si sermonis Graeci memores fuissent et eodem ingenii acumine quo poeta usi essent, inuenissent. Nunc non inuenerunt tantumque abest ut inuenerint ut grammatici nostri, seu tradita seruarent seu falsa emendatione corrumpere, turpissimos in errores delapsi sint.⁵¹

4, 53–54:⁵²

O mihi tum longae maneat pars ultima uitae,
spiritus et quantus sat erit tua dicere facta!

Cum *quantum* traderetur, *quantus* scripsit femina docta Ottauiano,⁵³ quam iterum audi: “hic ποιότης, haud ποσότης, significatur: spiritus et quantus ualet ‘et tam ingens ingenium’. Bene explicat Seru.: ‘utinam possim frui uita longissima et habere tantum spiritum, quantus possit sufficere ad tuae uirtutis commemorationem’ (cf. Aen. 10, 772 *oculis spatium emensus quantum satis hastae*; Liu. 25, 33, 4 *merces quanta uel pro bello satis esset dabatur*)”. Etsi haec non male disputari uidentur, displicet tamen sonus *-tus* ita iteratus, ut consona uerba sola uocula et distraherentur. Nam *ille latus niueum molli fultus hyacintho* (6, 34) aliter conformari satis patet.⁵⁴ Vereor equidem ne emendatio

⁵⁰ Extat glossema *dulcacidus* (TLL V, 1, 2182, 46–52) uideturque finxisse ipse Stephanus (TGL III 654 A s. v. γλυκύπικρος) *dulciamarus*.

⁵¹ Cucchiarellius 2023, 195–196 difficiliora subtiliter enucleare, ut solet, supersedit.

⁵² Liceat hic emendationem commemorare, qua legendo *molli siluestris* (*paulatim* testes omnes) *flauescet campus arista* (4, 28) Maroni suum restituisset mihi uisus sum (uide Libermannum 2023, 74 ad Catullum 38, 7). Nam rem et locum consideranti *rerum paulatim sumere formas* (6, 36) alienum esse adparebit.

⁵³ Ottauiano 2013.

⁵⁴ Nullibi, si Shackletonus Baileyus 1994, 100–106 fidem facit, duo uerba in *-tus* desinentia Maro conglutinavit, quem tamen *meriti tanti* (Aen. 9, 256) dixisse non nescio.

quantus Maronem ad uulgaris syntaxeos normam perperam exigit. Immo *maneant mihi spiritus, quantum sat erit...*, sc. “maneant mihi spiritus (nominandi casu), quantum spiritus (gignendi casu) satis erit...”, non minus Latine dici mihi uidetur quam illud Plautinum, *Epid.* 213 *Tum meretricum numerus tantus, quantum* (sc. *meretricum*) *in urbe omni fuit*, ubi caue ne Leoni⁵⁵ obtemperans *quantus* legas. Confer potius Leonis pace *Aul.* 785 *ut illum di immortales omnes deaeque quantumst perduint; Bacch.* 1170 *Senex optime quantumst in terra, sine <me> hoc exorare abs te; Poen.* 433 *Neque nubes omnes quantumst; Pseud.* 37 *At te di deae quantumst – Seruassint tamen; 535–536 Non unum in diem, | uerum hercle in omnis quantumst.* Insunt autem in primo loco Plautino et in Maroniano incongruentiae specimina quae noli ad seuerioris syntaxis normam redigere. Qui tamen ne talia sollicitet a se impetrare non potest, is infinitiuum quoque finalem *dicere* proturbet!

5, 56–59:

Candidus insuetum miratur limen Olympi
 sub pedibusque uidet nubes et sidera Daphnis.
 Ergo alacris siluas et cetera rura uoluptas
 Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.

Cetera, quo uocabulo Maro in *Bucolicis* notabiliter abstinuit idque a siluis reliquas ruris⁵⁶ partes frigidius parumque poetice discernere uidetur, addubitauit, quo ingenii acumine pollebat, Schraderus. Cuius ut peringeniosa, ita parum sensu apta commenta *secretaque rura* uel *securaque rura* displicent; displicet autem multo magis Heynianum istud *et agros et rura*. Adridet uero, tanquam satis bonam sententiam prae se ferens et facilius in *et cetera rura* abiturum, *erecta que rura* (< *ceteraque* < *et cetera* metri causa). Etenim quae rura cum ruricolis ob extinctum Daphnin luctu concussa demissaque u. 20–44

⁵⁵ Leo 1912, 311. Emendatione *quantus* optimum, ut est, metrum non melius fit. De loco Maroniano tacuit Leo.

⁵⁶ ‘Rus’ ipsum per se cultum incultumque esse posse et usu conprobatur et ueriloquio, ut ita dicam, confirmatur, cuius, sua quidem non fraudandus laude, primus inuentor Darmesteterus 1878, 56 extitit. Est autem conferenda uox Aestica ‘ravahn’, qua latum spatium significatur.

exponuntur, ea alacri⁵⁷ eiusdem Daphnidis quasi reuiuiscantis uoluptate eriguntur et reficiuntur. Semel hic erigendi uerbo⁵⁸ figurate uti potuisse eum credo, qui 6, 63 *solo proceras erigit alnos*, scilicet “ut se erexerint canit”, dixit saepiusque ipse arrigendi uerbo figurate usus est. Quin immo in illis “erectis ruribus” nonnihil proprii sensus remanere mihi uidetur.⁵⁹

6, 82–84:

Omnia quae, Phoebō quondam meditante, beatus
audiit Eurotas iussitque ediscere laurus,
ille canit; pulsae referunt ad sidera ualles.

Flumineas laurus carmina quae Amyclaei Hyacinthi amore captus Apollo ad Eurotae ripas meditari putatur ediscere iuberi ab eodem Eurota adeo miror,⁶⁰ ut uocem *laurus* (u. l. *lauros*) propter commemoratum Apollinem subortam esse expulsa ueriere lectione suspicer. Forsitan enim Eurotas deus suos ipsius *fluctus* illa diuina carmina ediscere iusserit.⁶¹ Non nimis dissimiliter in *Aen.* 9, 124–125, ut hoc exemplo utar,⁶² fluctus ipse suos Tiberis deus ab alto reuocauit.

10, 42–49 (et totius carminis structura tangitur):

Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,
hic nemus; hic ipso tecum consumerer aeuo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis
tela inter media atque aduersos detinet hostis. 45

⁵⁷ De iunctura uide Stat. *Theb.* 10, 187 *ergo alacer trepidos sic erigit augur Achiuos*. Nam caue ne, quod multi, *alacris siluas* iungas.

⁵⁸ Maro erigendi uerbum proprio sensu omnino decies usurpauit.

⁵⁹ Confer ancipitem locum Theocr. 1, 138–139 τὸν δ’ (sc. Daphnin) Ἀφροδίτα | ἦθελ’ ἀνορθᾶσαι, ‘erexisse’.

⁶⁰ Caue ne Stat. *Silu.* 4, 6, 98 *amantes carmina laurus conferas* (uide Libermannum 2010, 367). Nec, si Diltheyo 1872, 60–61 aliisque Daphnen ab eodem Apolline amatam adferentibus adcedes, *laurus* satis tutaberis.

⁶¹ Postea repperi apud Chateaubriandum scriptorum Francogallicorum facile principem haec: “Fontanes m’apprend qu’il faisait des vers en changeant d’exil (...); chaque soir, des fleuves inconnus répéteront les plaintes mélodieuses qu’il eût mieux aimé faire entendre à l’Eurotas”.

⁶² Vide locos congestos a Luenzero 1876, 17–19.

Tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum)
 Alpinas, a! dura niues et frigora Rheni
 me sine sola uides. A, te ne frigora laedant!
 A, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!

Credeere tantum idem fere quod ‘credere tantum nefas fieri posse’ cum significare nequire Ribbeckus uideret nec traditos uersus aliter nisi per miras interpretantium ambages et uix probabilia artificia explicari posse perspiceret, unum aliquem post sextum et quadragesimum uersum putauit deesse. Ut uero u. 46 pro interpolato habere mallet, perpulchri et perpoliti carminis structura suasit. Nam uersibus 1–8 praefatur Maro personatus; 9–30, duo et uiginti uersibus Galli dolorem idem exponit; 31–69 sublato u. 46, octo et triginta uersibus uersu loquitur ipse Gallus; 70–77, octo uersibus Maro personatus Gallum excipit et ualedicit. Ergo Galli elegiae uersus sunt octo et tringita, uidelicet tot quot Maro personatus loquitur (8 + 22 + 8). Ipsa Galli elegia aperte bipartita est: 31–49 sublato u. 46, octo et decem uersibus de infida Lycoride queritur eamque adloquitur amore feruens Gallus; 50–69, uiginti uersibus idem bucolicam uitam se malle pati amore quasi deferuescente dicit, mox recantaturus et amori iterum cedere certus. Nunc uero cur u. 46 interpolatus sit quaerenti hoc respondeo, a lectore aut grammatico quodam requisitum esse pronomen (*Tu*) quo Gallus Lycorida suam significantius adloqueretur. Interpolator is quem posui *me* uersu 44 legebat, quam lectionem traditam nescio an non recte et feliciter femina docta Ottauiano uindicauerit, spreta illa coniectura Heumanniana *te*. Nam falsum est id quod oblocuta est, *nunc* pro ‘re uera’ poni non posse nisi Gallus ipse se Martis insano amore detineri dicat. Porro si Gallus inter hostes detinetur, quomodo fieri potest ut idem dicat hoc melius sibi futurum fuisse si *hic*, id est “in Arcadiae siluis ubi nunc uersor”, cum Lycoride sua ipso aeuo consumptus esset? Quid quod insanus Martis amor eundem inter hostes detinere dicatur, quem non minus insanus Lycoridis amor habeat?⁶³ Cum omnia haec stare nequeant, ad emendationem confugias necesse uidetur esse. Quod si *te* legimus Lycoridaque ipsam insano quodam amore in duri Martis armis detineri intellegimus, tum interpolatoris eius quem posui uerba *Tu procul a patria* superuacanea

⁶³ Vide Cartaultum 1897, 399 in eo libro quem, etsi non omnia pari praestantia administravit, tuo tamen periculo neglegas.

sunt. Sunt autem me iudice ficta ut *me* lectio tradita pronomen quod sibi responderet et opponeretur haberet.

Haec, ut nunc est, hactenus. Vale, dilecte Carole, et nos ama.

Gualterus Libermannus
Litterarum Latinarum apud Burdigalenses professor;
studiorum rector in Schola Practica Altiorum Studiorum Parisina
 gauthier.liberman@orange.fr

Librorum elenchus

- H. L. Ahrens, *Bucolicorum Graecorum Theocriti Bionis Moschi reliquiae* I (Leipzig 1855).
- R. Beekes, *Etymological Dictionary of Greek* (Leiden–Boston 2010).
- F. Bücheler, *Kleine Schriften. Zweiter Band* (Leipzig–Berlin 1927).
- P. Buttmann, *Ausführliche Griechische Sprachlehre* II. 1 (Berlin 1825).
- A. Cartault, *Étude sur les Bucoliques de Virgile* (Paris 1897).
- A. Cucchiarelli, *A Commentary on Virgil's Eclogues* (Oxford 2023).
- I. C. Cunningham, *Συναγωγή λέξεων χρησίμων* (Berlin – New York 2003).
- J. Darmesteter, “Notes sur l’Avesta”, *Mémoires de la société de linguistique de Paris* 3 (1878) 52–74.
- K. Dilthey, *Apollon und Daphne, Elfenbein Relief in Ravenna*. Separatabdruck (Bonn 1872).
- A. Draeger, *Historische Syntax der lateinischen Sprache* II. 2 (Leipzig 1881).
- J. M. Edmonds, *The Greek Bucolic Poets, with an English translation* (London – New York 1912).
- Ernst Fraenkel, *Griechische Denominativa in ihrer geschichtlichen Entwicklung und Verbreitung* (Göttingen 1906).
- C. Gallavotti, *Theocritus quique feruntur Bucolici Graeci* (Romae 31993).
- J. Gerbeau, *Nonnos de Panopolis. Les Dionysiaques VII. Chants XVIII–XIX* (Paris 1992).
- S. F. Gow, *Theocritus. Edited with a translation and commentary* (Cambridge 1950).
- E. M. Hamm, *Grammatik zu Sappho und Alkaios* (Berlin 1957).
- L. Havet, “Notes critiques sur les *Bucoliques* de Virgile”, *RPh* 38 (1914) 81–92.
- L. Havet, “Virgile, *Bucoliques*, 3, 100”, *RPh* 38 (1914) 165–168.
- N. Hopkinson, *Theocritus, Moschus, Bion, edited and translated* (Cambridge, Mass. – London 2015).
- R. Hunter, *Theocritus. A Selection, Idylls 1, 3, 4, 6, 7, 10, 11 and 13* (Cambridge 1999).

- R. Keydell, *Nonni Panopoli Dionysiaca* (Berlin 1959).
- N. Hopkinson, *Theocritus. Moschus. Bion, edited and translated* (Cambridge, Mass. – London 2015).
- A. E. Housman (recens. et enarr.), *M. Manilii Astronomicon liber tertius* (London 1916).
- D. Knoepfler, *La patrie de Narcisse* (Paris 2010).
- K. Latte, *Kleine Schriften zu Religion, Recht, Literatur und Sprache der Griechen und Römer* (München 1968).
- P. E. Legrand, *Bucoliques grecs I. Théocrite* (Paris 1925).
- F. Leo, *Plautinische Forschungen* (Berlin 2¹⁹¹²).
- G. Liberman, *Stace, Silves. Édition et commentaire critiques* (Paris 2010).
- G. Liberman, “Ecdotique des textes latins antiques”, *ASHP* 152 (2021) 150–171.
- G. Liberman, “*Nugae Catullianae* I. Observations sur l’établissement et l’exégèse du texte des poèmes 1–60 de Catulle”, *RPh* 97 (2023) 31–89.
- G. Liberman, “L’histoire et la critique du texte de l’*Énéide* au prisme de son dernier chant”, *Nesos* 1 (2025) 79–109.
- E. Lünzer, *Über Personificationen in Vergils Gedichten* (Gütersloh 1876).
- H. Merguet, *Lexikon zu Vergilius mit Angabe sämtlicher Stellen* (Leipzig 1912).
- R. B. Onians, *The Origins of European Thought about the Body, the Mind, the Soul, the World, Time, and Fate* (Cambridge 1951).
- S. Ottaviano, *P. Vergilius Maro. Bucolica* (Berlin–Boston 2013).
- A. Otto, *Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer* (Leipzig 1890).
- A. F. Pott, *Wurzel-Wörterbuch der Indogermanischen Sprachen I* (Detmold 1867).
- N. Richer, *La religion des Spartiates* (Paris 2012).
- O. Ribbeck, *P. Vergili Maronis opera I. Bucolica et Georgica* (Leipzig 1859).
- O. Ribbeck, *P. Vergili Maronis opera, apparatu in artius contracto I. Bucolica et Georgica* (Leipzig 1894).
- T. G. Rosenmeyer, “Ecloga Epicurea”, in: O. B. Palmer, R. Hamerton-Kelly (edd.), *Philomathes. Studies and Essays in the Humanities in Memory of Philip Merlan* (The Hague 1971) 447–460.
- C. J. Ruijgh, *Études sur le grec mycénien* (Amsterdam 1967).
- C. J. Ruijgh, *Scripta minora* (Amsterdam 1991).
- J. Rumpel, *Lexicon Theocriteum* (Leipzig 1879).
- D. R. Shackleton Bailey, *Homoeoteleuton in Latin Dactylic Verse* (Stuttgart–Leipzig 1994).
- E. Tournier, “9^e séance de grec (27 février 1895)”, *Bulletin des humanistes français* (Paris 1894–1902) 73–74.
- H. Usener, *Epicurea* (Leipzig) 1887.
- H. Usener, K. Wotke, “Epikurische Spruchsammlung”, *WS* 10 (1888) 175–201.
- H. Usener, *Kleine Schriften I. Arbeiten zur griechischen Philosophie und Rhetorik, grammatische und textkritische Beiträge* (Leipzig 1912).

- C. Wendel, *Scholia in Theocritum vetera* (Leipzig 1914).
 M. L. West, *Hesiod. Theogony, edited with prolegomena and commentary* (Oxford 1966).
 U. von Wilamowitz, *Die Textgeschichte der griechischen Bukoliker* (Berlin 1906).
 U von Wilamowitz, *Bucolici Graeci. Editio altera correctior* (Oxford 1912).
 U. von Wilamowitz, *Menander. Das Schiedsgericht (EPITREPONTES)* (Berlin 1925).

Twenty-two critical or exegetical remarks on Theocritus and Vergil's *bucolica* are offered, twelve on Theocritus, ten on Vergil. Other passages of both poets are also discussed. The paper aims at demonstrating that there is still a lot of work to do to improve the text and understanding of these *bucolica*, also Vergil's, which are more difficult than is generally realised.

Статья содержит 22 критических и экзегетических заметки: 12 к *Буколикам* Феокрита и 10 к *Буколикам* Вергилия. Попутно обсуждаются и другие пассажи обоих поэтов. Целью автора было показать, что для понимания обоих произведений и уточнения их текста потребуется приложить еще много усилий и что степень их сложности – даже Вергилия – обычно недооценивается учеными.

CONSPECTUS

Carolo Lucarini quinquagenario	5
P. J. FINGLASS	
Poem-Division in Sappho's Papyrus Fragments	9
TATIANA KOSTYLEVA	
Eur. <i>IT</i> 288: Why Not the Lungs?	32
FILIPPOMARIA PONTANI	
Allusions in Euripides' <i>Electra</i>	36
GAUTHIER LIBERMAN	
De <i>Bucolicorum</i> Theocriteorum et Maronianorum aliquot locis disputatur	46
LUCIA PRAUSCELLO	
The Use of $\pi\rho\rho\acute{o}\omega$ in the Septuagint, and its Value for <i>Esther</i> , Addition D 5	67
ROBERT A. KASTER	
A New Edition of Cicero's <i>Tusculanae Disputationes</i>	83
MIKHAIL SHUMILIN	
In orationes Ciceronis emendatiunculae	98
GIOVANNI ZAGO	
Arte allusiva in Tibullo, 2. 2. Un esercizio di lettura	106
ANTONIO STRAMAGLIA	
... in <i>alium orbem terrarum delatos</i> (Petron. 1. 2)	113
WALTER LAPINI	
Come farsi amico il giudice (nota a Caritone VI, 7, 11)	119

DENIS KEYER	
Juvenal 6. 422–423: Female Genital Massage?	128
TIZIANO DORANDI	
Gli <i>Excerpta</i> della <i>Classis C</i> dell' <i>Ad se ipsum</i> di Marco Aurelio ...	136
MICHAEL D. REEVE	
Editing Porphyrio: A Cautionary Tale	150
THOMAS RIESENWEBER	
Zu einigen Stellen in der <i>Ars Rhetorica</i> des Consultus Fortunatianus	169
Keywords	200